

» *S. C. allatis ab eod. Boss. n. 19. peccare graviter Parochum, si in alterius Parochia Sponsos à se conjunctos solemniter benediceret.* » Non tamen licebit tunc nuptiis benedicere, sine alterius licentia. *Sanch. l. 3. Disp. 19.*

1088. — « 6. Is qui substituitur, debet habere expressam, vel saltem tacitam licentiam ex ratihabitione de præsentibus, quia non sufficit ratihabitione de futuro, qua quis putet, alterum postea ratum habiturum. *Sanch. d. 39. Regin. Con. apud Bon. l. c. n. 11. * (Ita etiam Sanch. D. 35. n. 20. Pont. l. 1. c. 11. n. 1. Salm. 56. cum Conin. Et hoc etiamsi licentia sit metu vel dolo extorta. Salm. ib. cum Con. et Sanch. Sufficit autem licentia oretenus data: Bard. All. 32. n. 128. cum Nav. Henr. etc.)* » licet ipse Bonac. neget tacitam sufficere.

1089. — « 7. Vagabundi possunt contrahere coram quolibet Parocho, idque, (ut *Laym. c. 4. n. 3. docet ex Sanch.*) etsi alteruter tantum sit vagus. Hic autem tenetur de illorum conditione diligenter inquirere, ut monet *Trid.* an scilicet alibi sint conjuncti, etc., et deinde petere licentiam ab Episcopo assistendi: sine qua, licet validè assistat, graviter tamen peccat. Ita *Laym. t. 4. l. 3. Sanch. dist. 19. et d. 35. n. 14.* »

Commune est, quòd Vagi possunt contrahere coram quovis Parocho; ita *Sanch. l. 3. D. 25. n. 11. Pont. l. 5. c. 14. n. 5. Bon. q. 2. p. 8. nu. 6. Pal. D. 2. p. 13. §. 9. n. 11. et Salm. c. 8. n. 37. cum Con. Henr. Trull. Led. etc.* Et hoc etiamsi alteruter Sponsorum tantum sit vagus, ut *Pal. et Salm. cum aliis; idque Barb. in Trid. n. 3 et 4. refert decisum à S. C. Parochus verò, antequam Vagos conjungat, tenetur de eorum conditione diligenter inquirere (ut præscribit Trident. Sess. 24. c. 7.), an alibi sint conjuncti: Ac deinde petere licentiam ab Episcopo assistendi, sine qua, licet validè assistat, graviter tamen peccat assistendo, ut docent *Sanch. nu. 16. Pont. nu. 8. Salm. n. 38. cum Led. et Henr. ac Barb. in Trident. l. c. cum Fill. Molf. Homob. etc.* Imò in Instructione S. Inquisit. Gener. edita 21 Aug. 1670 coram Clem. X pro Curiis tam Romana quam cæterorum Ordinariorum (quam refert in extensum *Genestus t. 5. p. 326. et Pitton. de Matr. nu. 1737.*) sic præscriptum fuit: « Si contrahentes sint vagi, non procedatur ad licentiam contrahendi, nisi doceant esse liberos per fides Ordinariorum suorum, servata forma *Trid.* in c. Multi. 7. Sess. 24. Fides aliaque documenta non admittantur, nisi munita Sigillo, et legalitate Episcopi Ordinarii, et recognita saltem per testes qui habeant notam manum et Sigillum. Et attentè consideretur, quòd fides et testimonia bene identificent personas de quibus agitur. » Notant verò *Salm. c. n. 38.* nomine *Vagorum* hinc non comprehendi Vagos illos qui in eodem loco vagi sunt, quia isti, licet certam non habeant Parochiam, tamen in illo loco jam cogniti sunt, unde præmissis Denunciationibus bene possunt à quolibet Parocho conjungi. Circa alienigenas autem, habetur in eadem Instructione S. Inquisitionis ut supra (*n. 1739. ap. Pitton.*) quòd Parochus*

non potest pro eis Publicationes facere, « nisi certiorato Ordinario, à quo, vel ejus Vicario, prius receperit fidem authenticam status liberi. » Rectè verò excipiunt *Sanch. n. 8. Salm. l. c. cum Pont. et Con.* si contrahentes discesserint ab eo loco in ætate, in qua erant incapaces ibi contrahendi. (*V. N. XI. p. 331.*)

1090. — Insuper circa Milites hinc notandum ex *Decr. S. C. Nov. 1676. ap. Pitton. de Matr. n. 2117.* quòd Capellani Exercitus habent facultatem assistendi eorum Matrimonii, dum hi reperiuntur in actuali expeditione: hanc tamen facultatem non habent privativè respectu ad Parochos contrahentium, neque dum Milites in hybernis, vel æstivis commorantur, neque dum sunt in Præsidiiis. Præter dicta refert declaratum à *S. C. P. Zacharia ap. Croix l. 6. p. 3. n. 751.* Capellanos nec etiam Sacramenta Pœnitentiæ, Eucharistiæ et Extremæ Unctionis posse ministrare militibus degentibus in Præsidiiis, sine facultate Pontificia, aut licentia Ordinarii loci. Militum autem Matrimonia debent contrahi eodem modo, prout dictum est de Vagis, ut habetur in cit. Instructione Congr. Inquisit. ut supra *ap. Pitton. n. 2308.* Ubi tamen additur, quòd tempore necessitatis, vel in articulo mortis non sunt servandæ eadem probationes; sed si convalescunt, debent fieri, antequam Matrimonium consummant. Vide alia circa Matrimonium militum *ap. eumd. Pitton. n. 2356.*

1091. — « 8. Peregrini, qui ex causa exigua tempore domo absunt, non possunt contrahere peregrè coram Parocho loci: quia non est illorum verus. Aliud est de iis, qui alicubi habitationem figunt pro majore parte anni, aut eò venerunt animo manendi, saltem majore anni parte, licet postea contingat casu subito recedere, v. g. famuli, ancillæ, studiosi *Bon. q. 1. p. 8. n. 1. Sanch. l. 3. d. 23. n. 11.* Ratio est, quia contrahunt ibi domicilium Parochiale; et pastor illius loci est proprius illorum. »

Quid si quis aliò se transferret animo manendi ibi per majorem partem anni, et postea redeundi ad suum domicilium, an possit coram Parocho illius loci contrahere Matrimonium, et alia Sacramenta recipere? Negant *Rodr. Led. Henr. et alii ap. Sanch. l. 3. D. 23. n. 11. et Salm. c. 8. n. 29.* qui meritò cum *Sanch. et Palao* id satis probabile putant. Sed communiùs et probabilius affirmant cum *Busemb. Sanch. n. 12. Pont. l. 5. c. 13. n. 4. Pal. p. 12. §. 9. Bon. p. 8. n. 2 et 5. et Salm. c. 8. n. 30. cum Con. Trull. Gutt. Div. etc.* Probatur ex c. fin. de Paroch. ubi illi qui causa belli ad aliam Parochiam se transferunt, habentur ut illius Parochiani. Et confirmatur ex *Decl. S. C. ap. Bened. XIV. Notif. 32. n. 11.* ubi dictum fuit valere Matrimonium contractum à Judice, seu Medico temporali in loco ubi tunc degit. Secus verò, si quis aliò se transfert non animo contrahendi ibi domicilium (sive quasi domicilium, ut intelligendum) prout dicitur in eadem Declaratione: vide dicta de *Bapt. n. 115. v. Sed hic.* Et sic pariter alienigenæ in carceribus detenti neque possunt ibi contrahere ex alia *Declar. S. C. edita anno 1707. ap. eumd. Bened. n. 12. Qui n. 17. ex quadam Epist. S. Officii idem dicen*

audiat de ægris qui curantur in Hospitalibus, nisi urgeat necessitas contrahendi, et non suppetat tempus probandi statum liberum; Hi tamen si convalescerint, non poterunt Matrimonium consummare nisi constituto de utriusque statu libero. Puellæ autem expositæ, quæ degunt in Conservatoriis, debent Matrimonium contrahere non coram Capellanis ipsorum, sed coram Parocho loci, ex Decl. S. C. 22. Apr. 1651. apud eundem Benedictum *nu. 14.*, qui addit ex antiqua consuetudine bene posse contrahere coram eodem Parocho loci etiam illas puellas, quæ degunt in Conservatoriis, a quibus recipiunt alimenta et dotem. Alias verò puellas, quæ sunt in Monasteriis causa educationis, dicit Benedictus *n. 16.* debere Matrimonium contrahere coram Parocho domicilii paterni, materni, aut fraterni, si adsit; si autem non adsit, coram Parocho loci Monasterii. Et idem asserit *n. 17.* de famulis degentibus in domibus herorum. (*V. Not. XII, pag. 332.*)

1092. — « g. Parochus, et testes sic debent esse præsentés, ut advertere possint, quid agatur, et de eo testari, * (*Hinc non sufficit eorum præsentia tantum materialis, sed requiritur etiam moralis, ut probat P. Zacharia ap. Croix. l. 6. p. 3. n. 758. Et ideo recte ait Pontius (contra Sanch.) ap. Croix l. c. n. 759. quòd si non bene intelligerent Sponsorum consensum (puta quia sunt diversi idiomati) non satis est unus interpres de consensu affirmans.*) * Et quidem non est necesse, ut ipsi videant contrahentes, dummodo audiant verba contractus, si voces contrahentium noverint * (*sufficit autem, si videant signa consensu, ut Sanch. l. 3. D. 39. n. 1. et D. 41. n. 2. Pont. l. 5. c. 21. num. 8. Pal. p. 13. §. 8. num. 11. et Salmant. c. 8. num. 61. Adverte hic Declarat. S. C. ap. Fagnan. lib. 4. in cap. Quod nobis, de Clandest. despons. numero 4. ubi dictum fuit valere Matrimonium, etiamsi Parochus nihil proferat.*) * *Sanch. Fill. Pont. et alii 5. cum Dian. p. 8. cap. 7. R. 68. contra Barb. Nec refert, etiamsi per metum, vim, dolum, aut injuriam nolentes detineantur, vel etiam contradicant, ac resistent.* * (*Et sic pluries fuit decisum à S. C. ut refert P. Zacharia ap. Croix l. 6. p. 3. n. 760.*) * ; aut licet prohibiti sint ab Ordinario, ne intersint. *Bon. l. c. ex Declarat. Card. Con. Fill. Sanch. l. cc. etc.* »

1095. — Graviter autem peccant contrahentes coram Parocho vi, aut dolo detento, aut casu transeunte, ob injuriam quæ irrogatur Sacramento, et Ecclesie, cum Parochus tunc ut persona publica assistit; *Sanch. D. 39. n. 12. Pal. p. 13. §. 8. nu. 11. et Salm. c. 8. nu. 68. cum Con. et communi.* Et in aliqua Diocesi in hoc adest excommunicatio, ut testatur *Salm. l. c.* Attamen *Sanch. ib. ac Gutt. et Aversa ap. Salm.*, dicunt esse tantum veniale, contrahere coram testibus sic præsentibus, id est dolo detentis.

Notant deinde *Pal. l. c. et Salm. ib. cum Con. Trull. et Avers.*, quòd, urgente necessitate contrahendi, si Parochus nollet assistere nec possit adiri Superior, tunc potest nolens adduci, modò non

fiat vis personæ. Imò *Dic. ap. Salm.* concedit etiam per vim, si aliter vexatio tolli nequeat, quia Parochus tunc ex officio assistere tenetur; vide dicta *n. 1005.*

1094. — « 10. Parochus tenetur utrumque contrahentem interrogare, non quidem de impedimento, *Guttier. Sanch. Diana p. 3. tom. 4. res. 294.*, sed de mutuo consensu, ut in Trident. *sess. 24. c. 1.* Ejus tamen ommissio, quando de utriusque libero consensu constat, venialis tantum est. *Sanch. Conin. Dian. l. c.* * (*Cum Salm. c. 8. n. 70. cum Pont. et Avers.*) * Similiter mortale non esse, etsi, intellecto consensu, non dicat *Ego vos conjungo in nomine Patris, et Filii, et Spir. docet S. Sanch. Con. Vill. Gutt. Dian. p. 3. t. 4. R. 256.* * (*Ita probabiliter Pont. l. 5. c. 21 n. 2. Sanch. l. 3. D. 38. n. 75. Pal. p. 13. §. 18. n. 12. et Salm. c. 8. n. 70. cum Gutt. et Bon. Sed Bossius c. 3. n. 15. cum Reb. Barb. Veracr. et Salsed. adhuc probabiliter, et fortè probabilius dicit esse mortale, quia videtur transgressio in re magni momenti.*) *

1095. — « Dicitur XIV. *Et impos*, quòd impedimentum vocatur frigiditas, vel impotentia: quæ, si perpetua sit, et matrimonium antecedit, irritat illud jure naturæ, vel omne, et respectu cujuscumque, si sit absoluta: certum tantum, si sit respectiva seu respectiva. Idque, sive orta sit ab intrinseco, et vitio naturæ, sive ab extrinseco, opera hominis, vel diaboli; sive cognita alteri fuerit, sive non, sive sit ex parte utriusque contrahentis; sive alterius tantum. Ratio est, quia matrimonium consistit in mutua traditione corporum physicè aptorum ad generationem, sive in traditione potestatis corporis ad copulam conjugalem: hanc autem potestatem impotens non potest trahere, cum eam non habeat.

« Porro impotentia in viro esse censetur, quando est eunuchus, vel saltem non potest seminare intra naturale vas fœminæ; in fœmina verò, quando vel seminare non potest (si verum est semen fœminarum requiri ad generationem), vel propter arctitudinem non potest virum pati, aut ejus semen recipere.

« *Dixi 1. Si sit perpetua*: qualis est, quæ nulla arte potest tolli. In dubio autem perpetuitatis, conceditur à jure triennium ad experiendum bona fide.

« *Dixi 2. Si antecedit*: nam si subsequatur matrimonium, non irritat illud, etsi usum ita impediatur, ut soli contactus, et oscula liceant citra periculum pollutionis; idque quando impotentia est certa; nam si dubia sit, tandiu licet conari ad copulam, quandiu probabilis est spes seminandi intra vas. *Laym. l. 5. t. 19. p. 4. c. 12. ex Sanch. Nav. Henr.* »

Unde resolves:

« 1. Invalide contrahunt evirati, seu cunuchi, quando carent utroque testiculo: quia non emittunt verum semen aptum ge-

»nerationi. Nec refert quòd, instar senum sterilium satisfaciant
»concupiscentiæ fœminæ; quia id non faciunt per copulam na-
»tura sua aptam generationi, ob defectum seminis quod senes
»tamen emittunt, etsi semen senum per accidens non sit pro-
»lificum. *Laym. loc. cit. q. 3. p. 13.* * (*Id certum est ex Bulla*
»*Sixti V, edita an. 1587, quæ incipit, Cum frequenter. Intellige*
»*igitur, si ambobus testiculis careant, aut contusos habeant;*
»*secus si habeant saltem unum, ut Sanch. l. 7. D. 104. n. 17. et*
»*Salm. c. 12. n. 129. cum Avers. Dic. Led. etc.*) *

»2. Valide contrahunt I. Steriles, quia, etsi sint impotentes ad
»generationem, non tamen ad copulam; atque adeo sunt capa-
»ces omnis juris, et obligationis matrimonii; et susceptio prolis,
»licet sit præcipuus, non tamen est unicus, nec immediatus finis
»matrimonii. *Bon. q. 3. p. 13. ex Henrig. Con. Filliuc. etc.*
»Eadem est ratio de iis, quæ non edunt foetum, nisi mortuum,
»vel non nisi cum periculo vitæ. *Con. etc. II. cc. II. Herma-*
»*phroditii, quia verè sunt potentes ad usum matrimonii. Et qui-*
»*dem, si alter sexus emineat, secundum illum tantum valebit:*
»*si uterque sit par, optio illis datur, ut utrolibet utantur, ita*
»*tamen, ut quem semel elegerint, semper retineant. Sanch. l. 10.*
»*d. 106. Bon. l. c. ex Henr. Con. Fill. etc. III. Is, qui paulo*
»*post est moriturus, quia in eo manet potentia ad coitum, etsi*
»*per accidens vi morbi impediatur. Patet ex praxi Ecclesiæ,*
»*quæ illis interdum suadet ut concubinas ducant. Laym. l. c. ex*
»*Sanch. d. 105. num. 3. Cov. etc.*

»3. Impuberes, si utantur ratione, non jure naturæ, sed Ec-
»clesiastico tantum invalide contrahant: quia impotentia illorum
»est tantum temporalis. *V. sup. hoc dub. imped. 3.* »

Impotentia, de qua hic loquimur, est illa propter quam Con-
juges non possunt copulam habere per se aptam ad generationem;
unde sicut validum est Matrimonium inter eos, qui possunt copu-
lari, esto per accidens nequeant generare, puta quia steriles,
aut senes, vel quia fœmina semen non retinet, ita nullum est Ma-
trimonium inter eos qui nequeunt consummare eo actu, quo ex
se esset possibilis generatio. Ut autem impotentia dirimat Ma-
trimonium, debet esse perpetua et antecedens. Quare, si est
tantum temporalis proveniens ex aliquo morbo, aut vitio natura-
liter curabili, certo non dirimit Matrimonium. Sic etiam neque
dirimit, si Matrimonio superveniat. Si verò antecedit, et nequit
auferri nisi per miraculum, aut per peccatum, aut cum periculo
mortis, tunc irritat Matrimonium, ut expressum habetur in *c. Fra-*
»*ternitatis de frig. et malef.* Hæc autem impotentia ex quadruplici
capite oriri potest, scil. I. ex Maleficio; II. ex Frigiditate; III. ex
Impropotione; IV. ex Mixtione sexus (id est si aliquis Conju-
gam sit hermaphroditus), de qua satis est quod dicit *Busemb.*
unde tantum de aliis tribus capitibus hic agimus.

1096. — Et I. si impotentia proveniat ex Maleficio (quod
colligitur quando Conjuges excitantur ad copulam cum aliis, et
inter se frigescent, vel à coitu abhorrent, esto aliàs se diligant),

tunc si maleficio nequit tolli intra triennium remedio humano
nec orationibus, aut exorcismis, impotentia censetur perpetua, et
dirimit Matrimonium: ita communiter *D. Th. in 4. D. 34. q. un.*
à 3. ad 3. *Sanch. l. 7. D. 94. n. 12. Croix, l. 6. p. 3. n. 791. et*
»*Salm. c. 12. n. 131. cum Sot. Con. Bon., etc. ex v. fin. de Frig.*
»*et mal.* Hinc si maleficio aufertur per aliud maleficio (quod
certè illicitum est), Matrimonium etiam censetur invalidum, ut
communiter docet *Sanch. n. 9. cum D. Th. D. Bonao. et aliis*
passim. Secus si aufertur amovendo signum, ut *Sanch. n. 22. et*
»*Salm. l. c. quia tunc licet aufertur impedimentum. Salm. ib. cum*
»*Sot. et Avers.*

II. Si impotentia provenit ex Frigiditate, tunc quando Con-
juges ob hanc causam omnino perficere nequeunt copulam aptam
ad generationem, post experientiam triennii, nullum est Matrimo-
nium. Idem procedere communissimè aiunt DD, si ob nimiam
caliditatem vir semper seminet extra vas, antequam possit pe-
netrare; ita *S. Anton. 3. p. tit. 1. c. 12. §. 1 et 2. Navar. c. 22.*
»*n. 59. et Sanch. n. 7. cum Sot. Palud. Val. Led. Gutt., etc. ex*
»*D. Thom. suppl. qu. 58. art. 1. ad 2. ubi ait: « Caliditas superflua*
»*vix potest esse impedimentum perpetuum; si tamen inveni-*
»*retur, quod per triennium impediret carnalem copulam, judi-*
»*caretur perpetuum. » Sed probabiliter censent* *Cont. Tourn.*
»*p. 209. v. Si quis, et Cabass. T. J. l. 3. c. 25. n. 2. quòd*
»*hujusmodi Conjuges, si sint juvenes, non sint separandi, quia*
»*processu temporis fervor ille deficit, et sic possunt fieri habiles.*
»*Sicut autem potest esse impedimentum frigiditas, et maleficio,*
»*sic etiam potest irritare Matrimonium abominatio viri erga mu-*
»*lierem, si ob ejus deformitatem non possit ullo modo excitari ad*
»*copulam, ad quam bene excitaretur cum alia pulchra; ita D. Th.*
»*d. qu. 58. a. 1. ad 5. ubi: « Abominatio autem mulieris non est*
»*causa naturalis, sed causa accidentaliter extrinseca; et ideo de ea*
»*est judicium idem quod de maleficio: » Et ita etiam* *Sanch.*
»*l. 7. D. 92. n. 13. cum Alb. Magno, Sylv. Ang. Tab. Turrecr., etc.*
»*contra Sot. In his verò casibus datur Conjugibus triennium, in*
»*quo licet possunt copulam experiri ex c. Laudabilem de Frig.*
»*et Malef.*

III. Si demum impotentia provenit ex Impropotione, nempe
si fœmina habeat vas adeo arctum (saltem respectu sui viri), ut
ille nequeat penetrare, tunc si fœmina non possit apta fieri ad
copulam, nisi cum periculo mortis, omnes conveniunt Matrimo-
nium esse nullum ex *c. Fraternalitatis, de Frig. etc.* Unde, etiamsi
cum tali periculo mortis ipsa fuerit incisa, et facta idonea, Ma-
trimonium non valet; quia quod ab initio est invalidum, nequit
tractu temporis convalescere: ita communiter *Sanch. l. 7. D. 93.*
»*n. 15. et Tourn. p. 212. v. Resp. cum aliis.*

1097. — Sed dub. I. An sit nullum Matrimonium, si fœmina
per incisionem possit fieri apta ad copulam sine periculo mortis
sed cum periculo gravis morbi? *Prima sententia affirmat, et ha-*
»*tenent Pal. D. 4. §. 1. n. 5. Spor. de Matr. c. 1. n. 121. item*

Anton. Sylv. Sa, Val. Henr. Veg. Palud. Major. P. Soto, et alii plures apud Sanch. l. 7. D. 93. n. 17. qui probabilem censet. Ratio, quia impotentia eo casu non est à voluntate, sed ab ipsa natura; ex contractu enim Matrimonii videtur mulier non ad plus se obligasse, quam ad reddendum debitum per media ordinaria, unde quando non potest fieri apta, nisi per medium extraordinarium et periculum gravis morbi, tunc censetur illa ex ipsa natura impotens ad Matrimonium. *Secunda* verò sententia negat, et hanc tenent Bon. q. 3. p. 13. n. 2. Ronc. c. 6. q. 6. Salm. c. 12. n. 115. et Sanch. l. c. n. 15. cum Ang. Sot. Tab. Palac. Ang. Man. Graff. Lop. Led. etc. Et probatur ex c. *Fraternitatis*. §. *Per hoc de Frig.*, etc. ubi dicitur tunc Matrimonium esse nullum, quando copula non potest haberi « nisi per incisionem, aut alio modo violentia sibi inferatur, non solummodo levis, sed forte » tam gravis (nota), ut ex ea mortis periculum timeatur. » Hæc sententia speculative loquendo verior apparet ex textu præfato, cui nescio quomodo responderi possit; sed practice loquendo ipsa non differt à prima, prout enim rectè aiunt iidem Sanch. et Ronc. ll. cc. quoties per incisionem gravis morbus timetur, subest moraliter etiam periculum mortis.

1098. — Dub. II. An, soluto Matrimonio iudicio Ecclesiæ ob arctitudinem mulieris respectu viri, si postea cognoscatur à secundo viro, et per frequentem usum conjugii reddatur apta primo, debeat ad primum redire? C. *Fraternitatis*, §. *Similiter, de Frig.* etc. dicitur, quòd si mulier non poterat reddi apta primo, nisi cum periculo mortis, tunc non debet redire; secus, si poterat sine tali periculo. Ad quæsitum autem respondent Inn. Sotus, Host. Præpos. Henriq. etc. apud Sanch. l. 7. D. 93. n. 11. eo casu Matrimonium reputandum esse validum, quia cum mulier fuerit reddita apta primo viro per usum conjugii cum secundo, signum est quòd bene posset illi reddi apta aliquo modo, puta instrumento ligneo, aut ferreo, sine ullo periculo mortis. Sed verius dicunt S. Anton. 3. p. tit. 1. c. 12. §. 3. ad 1. et Sanch. l. c. n. 12. cum Glos. v. *Simili et Ab. Sylv. Ang. Turr. Ricc. Durando, Palac. Viga, etc.* non ex eo quòd ab alio potuit mulier cognosci, concludi quoque posse, quòd sine periculo mortis cognosci potuerit à primo; usu enim conjugii cum secundo poterat effici, ut per ipsum redderetur apta primo, cui prius apta non erat, nisi per reservationem cum periculo mortis. Aliunde igitur sumenda est præsumptio, quòd mulier potuerit fieri apta primo sine periculo mortis, nempe à similitudine in ætate, robore, et corpore primi viri cum secundo; nam in dicto c. *Fraternitatis*, ideo Pontifex, præcisè de hoc casu loquendo, decrevit mulierem teneri redire ad primum virum, quia secundus erat similis primo; en ejus verba: « Cum pateat ex postfacto, quòd cognoscibilis erat » illi, cujus simili commiscetur. »

1099. — Dubit. III. An uxor inepta ad copulam propter arctitudinem, teneatur pati incisionem cum periculo gravis morbi, ut apta reddatur? Adsunt tres sententiæ. *Prima* sententia, quam

tenent Ang. Palac. Gabrera, etc. ap. Sanch. l. 7. D. 93. n. 17. Dicitur tamen esse nino opposita, quam tenent Pont. l. 7. c. 62. n. 2. Pal. D. 4. p. 11. n. 9. Tourn. t. 2. p. 212. v. Sed hinc, Pont. de impedim. imp. Casu 1. et Mazz. t. 6. p. 82. v. Tertio, dicunt nunquam teneri fœminam pati incisionem. Ratio 1. quia in quolibet contractu propriæ illius conditiones attendi debent; cum autem in Matrimonio subintelligatur ea conditio, si ad illius usum Conjuges apti fuerint, si apti non inveniuntur, ad aliud non tenentur. Ratio 2. quia si hoc esset medium aptum, et æquitati consonum, Ecclesia illud aliquando præcepisset; Ecclesia verò nunquam præcepit, sed tantum præscripsit trium annorum experientiam. Excipiunt tamen Pal. et Mazz. ll. cc. si fœmina contraxisset conscia suæ extraordinariæ arctitudinis, et illam viro non manifestaverit; quia tunc ratione deceptionis tenetur incisionem pati; quamvis deinde meritò addat idem Pal. rarò hoc accidere, eò quòd rarò fœmina scit se esse arctam præ cæteris. Tertia demum sententia communissima, et probabilior, quam tenent Sanch. loc. cit. Bonac. q. 3. p. 13. n. 2. Ronc. cap. 6. q. 3. Salm. cap. 12. n. 116. Sporer. cap. 1. n. 128. Croix, lib. 6. p. 3. n. 798. cum Sot. et Perez, ac Escob. l. 27. n. 508. cum Man. Henr. Lop., etc. dicit teneri fœminam pati incisionem etiam cum gravi molestia et dolore, sed non cum periculo neque mortis, neque gravis morbi; et licet Sanchez loc. cit. dicit gravissimi, tamen intelligit idem ac grave, ut se explicat n. 18. in fin. Quòd non teneatur cum periculo gravi corporali, probatur, quia nunquam censetur mulier voluisse se obligare ad tantum periculum perferendum: neque ex vi contractus Matrimonii videtur ipsa ad tale onus obstringi. Quòd autem teneatur cum gravi molestia et dolore reddere se aptam ad copulam, probatur, quia ad id videtur mulier obligari vi contractus, cum id necessarium sit ad servandum jus copulæ quod in virum transtulit. Hæc quidem sententia est communior, et probabilior videtur speculative loquendo; sed practice loquendo, valde probabile id est quòd ait Cont. Tourn. d. p. 212. v. Sed hinc, cum Pontas, nempe quòd si incisio non posset fieri nisi per manum Chirurghi, non tenetur mulier hanc incisionem pati cum tanta verecundia, quòd esset onus plus quam gravissimum; si enim puella non tenetur nec etiam ad servandam sibi vitam in aliquo morbo verecundia Chirurghi manum pati (juxta dicta T. 2. l. 3. num. 372.) quomodo ad id tenebitur, ut ad usum conjugii aptam se reddat? « Quid enim turpius (ait Tourn.) quam ut virgo nuda oculis et » manibus Chirurghi subjiciatur, et incisionem fœdam simul ac » gravem pati cogatur. »

1100. — Dubit. IV. An cum vir posset coire cum corrupta, sed non cum virgine propter ejus claustrum virginale, teneatur ipsa pati scissuram claustrum per aliquod instrumentum? Comune est apud omnes cum D. Th. suppl. q. 58. ar. 1. ac 5. quòd possit pati. Utrum autem teneatur? Negant Pont. l. 7. c. 62. a. 2. Pal. D. 4. p. 14. §. 1. l. 8. et Ledes. Hurt. ac Leand. ap.

Anton. S. 27. n. 51. Ratio, quia defectus ille non est scœminæ. alii plur.: ergo non tenetur ipsa remedio uti, ut aptam se reddat. Ratio illicet ut corpus suum tradat aperiendum, modo à natura nat. ututo, non autem extraordinario. Sed probabilius affirmant *Sanch. l. 7. D. 93. n. 34. cum Vega, Angles, et Lop.* Ratio, quia talis reseratio ex una parte bene potest fieri sine verecundia ve à viro, vel ab ipsa puella; ex aliâ parte molestia, quam ipsa in tali reseratione deberet pati, non videtur magna, nec extraordinaria, imò est omnibus ordinaria; unde cum scœmina jam traderit viro jus ad copulam, tenetur hoc medio uti, ut se aptam reddat illi, qui ob suam debilitatem aliàs coïre non potest.

1101. — Demum hîc videndum quid agi debeat, quando impotentia est certa, et quando est dubia? Respondetur: Si est certa et patens, minimè expectandum, sed statim facienda est separatio: nam Matrimonium eo casu est certè nullum, tam ex jure Ecclesiastico, quàm ex naturali, cum nemo possit in alterum transferre dominium rei quod non habet, et licet copula non sit de essentia Matrimonii, de essentia tamen est potentia ad illam, ut docet *D. Th. suppl. q. 58. ar. 1. ad 1.* Unde cognita impotentia certa et perpetua, Sponsi possunt illico separari, etiam ex propria auctoritate, si id possit fieri sine scandalo: imò tenentur, si adest periculum incontinentiæ; Et pars non laborans impedimento potest etiam ad alias nuptias transire, ut dicunt *Sanch. l. 7. D. 97. n. 8. et Salm. c. 12. n. 135. cum Candido.* Si verò adsit periculum scandali (prout communiter adest), tunc debent reclamare coram Judice Ecclesiastico, à quo separandi sunt, saltem quoad torum; et si alter peteret, etiam quoad habitationem, non expectata triennali experientia, quæ datur pro impotentia dubia, non pro certa; ita *Sanchez D. 107. ar. num. 3. et Salm. loc. cit. cum Pont. Gutt. et Dicast.* Et patet ex *c. Laudabilem, de Frig. etc.* ubi: « Si frigiditas probari non possit, cohabitent per triennium. » Ergo si impedimentum probatur, non datur triennium. Si autem velint cohabitare ut frater et soror mutuo consensu, modò absit periculum incontinentiæ, id permittitur ex eodem textu; Sed rectè advertebat *Merbesius*, hoc nunquam permittendum, si Sponsi non sint senes.

1102. — Hoc currit, si impedimentum impotentia est certum: si verò est dubium, et dubium antecedit Matrimonium, non potest qui de sua impotentia dubitat, nuptias inire, donec re diligenter investigata dubium deponat, ob gravem injuriam quam aliàs irrogaret alteri petenti, ut rectè dicunt *Sanch. l. 7. D. 103. n. 10. Mazz. t. 4. p. 83. §. 3. et Pal. D. 4. p. 14. n. 1. cum Guttier.* Si verò non obstante dubio iste contraxerit, licet poterit reddere et petere, tunc enim datur ei saltem triennalis experientia, ut infra latius explicabitur. Dicunt autem *Dicastil apud Croix n. 795. et Elbel. p. 443. n. 265. cum Carden et Viva*, quòd si quis sit dubius de sua impotentia ob aliquod positivum indicium, iste licet poterit Matrimonium contrahere, si spectata peritia Medicorum, et experientiis, sit saltem probabile esse potentem; quia in dubio fa-

vet ei præsumptio, quòd sit naturaliter potens. Idque satis probabile videtur; cum enim sit probabilissimum licitum esse ministrare Sacramentum sub conditione, si justa adsit causa, secundum dicta *n. 28*, hic satis justam causam habet nubendi sub conditione, si sit habilis, ne scilicet in tali dubio cogatur perpetuò manere cœlebs. Deberet tamen ante Matrimonium monere Conjugem de tali dubio. Cæterum, præcis circumstantiis et experientiis, quisque præsimitur habilis etiamsi castissimè vixerit.

1105. — Si verò dubium impotentia superveniat Matrimonio tunc datur triennalis experientia ex *c. cit. Laudabilem, de Frig. etc.* Qua durante licet possunt Conjuges copulam intentare, licet sæpe aut semper semen extra vas effundant, ut communiter docent *Sanch. l. 9. C. 17. n. 20. Pal. D. 4. p. 13. §. 2. nu. 11. Salm. c. 12. n. 134. et 138. cum Soto, et Candido, ac Cont. Tourn. t. 2. p. 209. v. Si quis, ex D. Th. Suppl. q. 58. art. 2. in fine.* Hoc quoad forum internum; quoad verò forum externum pertinet, triplici modo causa agi potest. I. Si unus ob dubium impotentia auctoritate propria ab altero recessit, et tunc recedens, nisi in continenti evidentes afferat probationes impotentia, statim restituendus est alteri etiam quoad torum, *Mazz. t. 4. p. 84. cum Pal. ex c. Ex parte de Rest. expol.* Docet tamen *Sanch. l. 7. D. 112*, cum communi, quòd si ille recesserit post triennium experientia, Judex ante restitutionem debet ipsum audire. II. Si unus alleget impotentiam, alter neget, tunc datur à Judice triennium ad experiendum. In quo notandum 1. quòd hoc triennium debet esse continuum ex *c. fin. de Frig. etc.* saltem moraliter, ut rectè dicunt *Sanch. l. 7. D. 110. nu. 4. Mazz. p. 85. et Salm. c. 12. n. 137. cum Conink*, nempe si Conjuges cohabitent per majorem partem anni; non enim officit, si alter absit per unum vel alterum mensem. Notandum 2. quòd licet *Henriq. et alii ap. Sanch. nu. 3. ac Mazz. l. c.* dicant tempus triennii incipere à die Decreti, addatque *Mazz.* hunc esse stylum curia Romanæ, veriùs tamen *Sanch. n. 4. Salm. n. 138. et Holzm. p. 397. n. 633. cum Pichler* docent triennium computari à tempore copulae intentatae; idque clarè exprimitur in *d. c. Laudabilem de Frig. etc.* ubi dicitur: « Ut à tempore celebrati conjugii, si frigiditas priùs probari non possit, cohabitent per triennium. » Nota to à tempore celebrati conjugii, id est copulae intentatae, ut bene explicat *Sanch.* nam verba cum effectu intelligenda sunt. Si ergo à tempore conjugii debet triennium computari, improbabiler dicitur computandum à die Decreti; posset enim Decretum fieri post duos annos à conjugio, et sic non concederetur solum triennium, sed quinquennium. Ut autem solvatur Matrimonium, debent ipsi jurare in judicio, se nunquam habuisse copulam, esto pluries intentaverint, ut præscribitur in *dict. c. Laudabilem*, ubi insuper requiritur depositio jurata septem propinquorum, aut vicinorum bonæ famæ, si propinqui defuerint. Hoc tamen dicit *Sanchez D. 109. numer. 13*, procedere, si unus tantum sponsorum proferat impedimentum; sed si ambo illud fatentur, requiri 14

neque 7 ex parte viri, et 7 ex parte mulieris: Isti autem non quidem debent jurare, tales Conjuges nunquam copulatos fuisse; sed tantum id credidisse, vel ab eis audisse, ut dicit *Panorm. cum Glossa in d. c. Laudabilem, et Salmant. n. 137.* Casu verò quo nequeant haberi 7 propinqui vel vicini, id relinquitur arbitrio Judicis, ut *Salm. ibid.* Insuper si mulier, quæ tempore Matrimonii erat virgo, alleget impotentiam viri, adhibenda est inspectio Medicorum respectu viri, et Matronarum peritarum respectu foeminae, quamvis enim *Pontius l. 7. c. 63.* censeat hoc remedium inspectionis removendum tanquam inutile, et indecens, tamen probabilius *Salm. d. n. 137. et Sanch. D. 109. n. 17. cum Alexand. de Nevo, etc.* illud requirunt utpote necessarium, cum alia via non possit impotentia cognosci; tunc enim ab ipsa necessitate talis inspectio honestatur. Et licet ordinariè ex ea nequeat certum ferri judicium, aliquando tamen sumi poterit judicium saltem probabile, ut Ecclesia ad alia procedat remedia; et ideo in *c. Fraternalitatis de Frig. etc.* Pontifex approbavit factum Episcopi, qui inspectionem adhiberi curavit. Si autem per inspectionem nihil conjici possit, nempe si mulier jam ante Matrimonium fuisset corrupta, tunc potius credendum viro affirmanti se consummasse, quam mulieri neganti, ut verius docent *Sanchez lib. 3. D. 109. n. 15. cum Alexand. de Nevo, Henric. Ricch. Turrec. etc.* (contra *Sotum et alios*) ex *cap. Continebatur, de Desp. impub.* ubi dicitur: « Si vir dixerit, quòd uxorem suam cognoverit, et » mulier negaverit, viro fides est adhibenda, si id firmaverit juramento. » Meritò autem idem *Sanchez ib.* rejicit tanquam turpissimum id quod dicunt aliqui, nimirum adhibendam esse peritam Matronam, quæ spectet coitum inter hujusmodi Conjuges.

III. Si demum utraque pars fateatur impedimentum impotentiae, tunc post triennalem experientiam exacto juramento ab utroque, et adhibita septima manu propinquorum ex utraque parte ut supra, solvitur Matrimonium, et pars libera ab impedimento licite potest cum aliquo nuptias inire, ut certum est apud omnes.

1104. — In dubio autem, an Matrimonium fuerit consummatum, vel non, judicandum est consummatum, nisi oppositum probetur, ut communiter docent *Sanch. l. 7. D. 103. Pal. part. 14. §. 7. n. 3. et Salm. c. 12. n. 136. cum Soto, Aversa, et Candido.* In dubio verò an impotentia præcesserit, vel secuta fuerit ad Matrimonium, discrepant DD. Prima sententia dicit tunc judicandum, quòd fuerit subsequens; ita *Pal. l. c. Sanch. nu. 5. cum Alexand. de Nevo, Gabr. etc. ac Mazz. t. 4. p. 83. §. 3. cum Soto, et Gutt. ac Reg. apud Salm. d. n. 136.* tum quia in dubio judicandum est in favorem Matrimonii contracti; tum quia unusquisque præsumitur à natura potens, donec contrarium probetur. Secunda tamen sententia probabilior dicit impotentiam censendam esse antecedentem; ita *Contin. Tourn. t. 2. p. 209. v. In dubio, Renzi t. 2. p. 496. q. 30. et Bon. q. 3. p. 13. n. 11. cum Ang. Reb. Henr. etc. ac Salm. l. c. cum Sylo. Aversa, Verac. et Candido.* Ratio, quia, cum Matrimonium nequit suum habere effec-

tum, nimirum procreationem proles, potius refert ad ejus favorem, ut judicetur invalidum, quam validum, ne retorqueatur in ipsius præjudicium, quòd in bonum ejus inductum est; et sic respondetur ad primam rationem oppositam. Respondetur autem ad secundam, quòd bene quisque præsumitur potens, sed non quando adest positiva præsumptio in contrarium, prout hinc supponitur: maxime si post Matrimonium nulla acciderit specialis causa, per quam præsumatur impotentia Matrimonio successisse. Conveniunt autem *Tourn. et Renzi, l. cc. Sanch. nu. 6. et Pal. n. 6 cum Gutt.*, quòd si impotentia non fuerit naturalis, sed accidentalalis, nempe ex maleficio, vel ex abscissione, vel alio morbo, tunc in dubio præsumitur præcessisse Matrimonium, si allegetur brevi post ejus celebrationem; secus verò, si post longum tempus.

1105. — « Quæres, quid censendum de Matrimoniis, quæ » contrahantur in partibus hæreticis? »
 « Resp. Circa ea Congregatio Cardinalium resolvit sequentia: »
 » 1. Ubi hoc decretum Concilii nondum publicatum est in Pa- » rochia, verbi gr. in Saxonia et Anglia, valere matrimonium » contractum absque forma præscripta. Publicatio autem decreti » facta præsumitur, si id aliquo tempore in Parochia tanquam » decretum Concilii fuit observatum. 2. Hæreticos, in quorum » Parochia dictum decretum fuit publicatum. v. g. in Hollandia » Frisia, etc. teneri formam præscriptam servare. Unde conse- » quenter ipsorum matrimonia absque forma Concilii, quamvis » coram ministro hæretico, vel magistratu contracta videntur » esse nulla; *Laym. tamen l. 5. t. 10. p. 2. c. 4.* putat eam non » esse mentem summorum Pontificum, propter gravissima incom- » moda inde subsecutura. 3. Si Parochia, in qua aliquando decre- » tum fuit observatum proprio Parocho et Episcopo careat, nul- » lusque istic sit, qui vices Episcopi, vel Parochi suppleat, ma- » trimonium valere absque præsentia Parochi, servata tamen, » in quibus potest, forma Concilii, nempe adhibitis saltem duo- » bus testibus. Idem est, si Parochus et Episcopus metu hære- » ticorum lateat, ita ut verè ignoretur, ubi sit, vel eorum metu » absit à Diocesi, et ad neutrum sit tutus accessus. * (V. hinc *lit. » in fin. Notandum, quòd SS. Dom. Noster Pontifex Bened. XIV, » die 4 Nov. 1741, declaravit Matrimonia Hæreticorum inter se, » non servata forma Tridentini, pro validis habenda esse. Et idem » de conjugis inter Catholicos et hæreticos. Hoc tamen tantum » pro locis in Belgico Dominio fœderatorum Ordinum subjectis, » et pro militibus ad arces conferrimas missis, nullo prolato ju- » dicio pro Regionibus Principum Catholicorum. Vide Declara- » tionem Pontif. Tomo ultimo, inter Decreta N. VIII.) »*

1106. — « Dicitur XIV. *Raptave sit*, de quo vide supra in im- » pedimento criminis n. 1032.

1107. — Ad incurrendum impedimentum ob crimen Raptus, tria requiruntur, I. Ut mulier rapta abducatur de loco ad locum, prout communiter dicunt *Sanch. l. 7. D. 13. n. 21. Conc. p. 349.*

nampe 7 *Salm. c. 12. n. 148.* et alii passim; vel etiam de domo in quidem per aliquos inde passus distantem, ut aiunt *Holz. p. 398. sed 697. et Tamb. Dec. l. 7. c. 6. §. 2. n. 7.* Unde non sufficit, cum quod mulier transferatur de cubiculo in cubiculum ejusdem domus, etiamsi per vim ibi cognoscatur; sufficit verò, si transferatur in locum separatum, in quo illa sit sub potestate viri, quamvis ibi cum illo rem non habeat, ut *Sanch. Conc. et Salm. ll. cc.*

Requir. II. Ut fœmina rapiatur tantum causa Matrimonii, unde si abducatur ex alia causa, etiam libidinis explendæ, non incurritur impedimentum; ita probabilius tenent *Sanch. l. 7. D. 13. n. 4. cum Manuel, Vega, Dian. etc. Pal. D. 4. p. 2. §. 2. num. 11. Conc. p. 339. n. 2. Holz. n. 638. et Salm. c. 12. n. 152. cum Con. Dic. Aversa, Dian. etc. (contra Bon. Corneio, etc. cum Bus. sup. n. 1032.)* Ratio, quia Concilium Trid. hoc impedimento non aliud intendit, quam favere libertati Matrimonii, de quo tantum agit in *sess. 24. c. 6.*

Requir. III. Ut raptus sit mulieris, ipsa repugnante. Unde non incurrit impedimentum, si mulier rapiat virum, ut communiter *Sanch. D. 13. num. 16. et Salm. c. 12. n. 155. cum Bonac. Gutt. Veracr. Dic. Gabr. etc.* Quia Concilium tantum de viro raptore mentionem facit. Nec etiam incurritur, si fiat raptus, consentiente fœmina, licet ejus Parentes, vel Tutores repugnent. Quod *Busemb.* probabile putat, et est commune cum *Sanch. ib. n. 13 et 14. Pal. n. 12. Conc. et Holz. ll. cc. ac Salm. n. 151. cum Con. Avers. Per. Dic., etc.* Quia aliter, licet incurrantur quidem pœnæ raptoribus impositæ, non contrahitur tamen impedimentum quod Concilium indixit tantum favore mulierum, ne coactæ nubant. (*V. Not. XIII, pag. 332.*)

Nota hęc quod ex Tridentino, ut supra, ultra impedimentum, raptor, et omnes auxilium ad hoc præbentes, incurrunt excommunicationem ipso jure. Alias verò pœnas ibi indictas, ut donationis mulieris, infamiæ, incapacitatis ad dignitatem, et amissionis gradus, non nisi post sententiam incurrunt, ut *Sanch. l. 7. D. 13. n. 1. et Salm. n. 150. cum Pal. Dic. et Per.*

Quær. 1. an in hujusmodi casu etiam Sponsalia sint nulla, sicut Matrimonium? Affirmant *Sanch. ib. n. 17. et Salm. n. 154. cum Bon. Basil. Aversa, Dic. etc.* Quia (ut dicunt) Sponsalia etiam libertatem expetunt sicut Matrimonia: lex autem pœnalis rite extenditur, ubi eadem militat ratio. Sed probabilius contradicunt *La Croix l. 6. p. 3. num. 54. Holm. de Matr. c. 8. n. 271. cum Perez, Pichler, Wiensn. Krimer, et aliis;* ratio quia Sponsalia minorem libertatem requirunt quam Matrimonium, eo quod ipsa semper remanent rescindibilia: ergo non currit in eis eadem ratio, quæ currit in Matrimonio, quod nunquam rescindi potest.

1108. — Quær. 2. an si quis rapiat fœminam, quam jam desponsaverat de futuro, pœnas Concilii incurrat? Negant *Ledes. et Henr. ap. Salm. c. 12. n. 153.* qui probabilem putant, ex *c. penult. de Rectorib.* ubi: « cum ibi raptus dicatur admitti, ubi nihil

ante de nuptiis agitur. » Ex quo refert *Henr. ap. Sanch. l. 3. D. 12. n. 15.* validum esse Matrimonium, sive volens sive nolens Sponsa abducatur. Affirmant veriustamen *Sanch. l. c. Pal. p. 2. §. 2. n. 14. Conc. p. 339. n. 4. Esc. l. 27. n. 585. cum Sa, Hurt. Man. Corneio, Candido, et Leand. ac Salm. l. c. cum Aversa, Dic. et Gutt.* Id enim clarè exprimitur in eodem textu mox citato, ubi post verba relata statim subditur: « Iste raptor dici non debet, cum habuerit mulieris assensum; et prius eam desponsaverit, quam cognoverit, licet Parentes reclamarent. » Unde rectè ex eo concludit *Sanch.* nullum esse Matrimonium, si fœmina invita abducatur, secus si volens, etsi invitis Parentibus; et in principio textus non ideo dicitur raptus non intercedere, quia sponsalia præcesserint, sed quia mulier consentiens rapta fuit.

DUBIUM III.

Quando Matrimonium invalidum sit revalidandum.

1109. Quomodo revalidandum Matrimonium, si fuit nullum ob consensum fictum, vel metu extortum? Quomodo, si ob impedimentum occultum? — 1110. Qu. I. An in Matrimonio nullo ob impedimentum occultum revalidando, iterum requiratur assistentia Parochii et testium? — 1111. Qu. II. Quomodo, et quando impedimentum censeatur occultum? — 1112. Qu. III. An sit revalidandum Matrimonium coram Parocho et testibus, si ipsi tempore Matrimonii contracti erant conscii impedimenti? — 1113. Qu. IV. An qui fictè contraxit Matrimonium, teneatur ex justitia illud revalidare per verum consensum? — 1114. Qu. V. An si quis fictè, vel ex metu contraxit, debeat alterum Conjugem certiorare de matrimonii nullitate? — 1115. Qu. VI. An si Matrimonium fuit nullum ob aliquod impedimentum, oporteat ut uterque fiat conscius de nullitate? — 1116. Quid in casu urgentis necessitatis? — 1117. Qu. VII. Quotuplici modo possit renovari sive exigi consensus a parte inscia impedimenti?

1109. — « RESP. I. Si fuit invalidum propter consensum fictum, vel metu extortum, sive ex una, sive ex utraque parte, potest revalidari per quodcumque signum veri et novi consensûs; quia si altera tantum pars fictè contraxit, consensus unius partis habitualiter permansit: ergo accedente alterius consensu revalidatur. *Sanch. l. 2. d. 32. nu. 9. Coninc. d. 24. d. 10. n. 89. Nav. Fill. Bon. etc.* »

Unde resolves:

« 1. Si metus, vel defectus consensûs fuerit alterius tantum partis, curandum est, ut ea saltem novum et liberum consensum eliciat, et externis signis prodât; alteri autem parti non opus est declarari, præstari novum consensum ad valorem matrimonii. *Sanch. l. c. n. 10. Con. Bon. p. 9. Merat. de 7. sess. 15. n. 4.*